



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

II. Aliqua dubia de peccatis, quæ sunt materia confessionis, & præsertim
de peccatis dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

tionem tribuit amovere fictionem; remittere verò peccata, non nisi ea, quæ consequuntur Baptismum eodem modo loquitur in *secundo scripto super quartum sententiarum eadem disp. 4. art. 2. ad 1. quod habetur tom. 17. vbi dicit, Baptismum indigere contritione, non ut causa ad destructionem peccati actualis, sed solum ad remouendam fictionem, quæ est contraria dispositio impediens effectum Baptismi. Vbi aperte distinguit inter remotionem fictionis, ad quam conducit contritio, & inter destructionem peccati. Ergo in nostro etiam textu non videtur significare remissionem peccati fictionis per remotionem fictionis, quam tribuit penitentia subsequenti.*

Denique ad exempla martyrij, & Baptismi supra adducta, quando scilicet aliquis in ipso momento martyrij, vel Baptismi, peccaret venialiter, & statim moriretur, quod peccatum virtute martyrij, vel Baptismi deberet auferri: ad hoc, inquam, responderi potest, quod attinet ad peccatum veniale commissum in ultimo instanti Baptismi perfecti, eandem esse difficultatem. Nam sicut diximus peccatum mortale illius instantis non remitti postea virtute Baptismi, sed esse materiam confessionis sequentis, sic dicendum est de veniali, non auferri virtute Baptismi, sed posse remitti postea per confessionem, quia verè fuit peccatum hominis Christiani, & subditi Ecclesiæ: differt tamen à mortali, quia hoc esset necessariò confitendum, non verò veniale, sed posset sine ordine ad clauas deleri per contritionem, aut etiam aliquando per attritionem extra Sacramentum. De facto ergo, quando communiter dicitur eum, qui moritur statim post Baptismum, restitui via ire in celum absque purgatorio; intelligitur, si neque post Baptismum peccauit venialiter, prout potuit in illa brevissima morula vitæ peccare: neque etiam in ipso ultimo instanti Baptismi: alioquin eorum est apud omnes illum indigere purgatorio, si immediate post Baptismum commisit aliquod veniale.

De Martyre aliter dicendum est, concedimus enim ex privilegio Martyrij omnia peccata venialia ei dimitti in ipso mortis momento. Negamus tamen peccatum commissum ipso instanti martyrij remitti virtute martyrij, supponitur enim aliquid impossibile, nempe illo instanti fieri aliquod peccatum veniale. Nam instans martyrij non est illud, quo martyr offert se, vel acceptat mortem pro Christo, aut quo vulneratur, si enim hoc esset iam martyrij virtus, se extenderet non solum ad tollenda peccata illo instanti commissæ, sed etiam posteriora; nam si post lethale vulnus acceptum Martyr peccet venialiter ante mortem, adhuc in instanti mortis remitteretur illud etiam peccatum, nec indigebit purgatorio, alioquin oporteret orare pro multis Martyribus, quis enim scit, an post vulnus acceptum aliquod veniale commiserint? Quod cum absurdum sit, non argueretur iam bene à martyrio ad Baptismum, cum certum sit Baptismum non habere virtutem ad remissionem venialis post ipsum Baptismum commissi. Dicendum ergo est instans martyrij esse illud, quo martyrium consummatur per mortem: martyrio enim per mortem consummato annexitur illud privilegium, & indulgentia omnium peccatorum. Cum ergo non possit fieri peccatum veniale illo ipso instanti, quo homo moritur, quia iam tunc homo non vivit, consequens est, ut non possit virtus martyrij extendi ad remissionem peccati, quod sit illo ipso instanti, quo martyrium perficitur: imò magis hoc repugnat martyrio, quam Baptismo, cum oriatur repugnantia, non solum ex defectu potentie, seu virtutis, sed etiam ex defectu

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

objecti, quia licet possit fieri peccatum ipso instanti baptismi, nullum tamen fieri potest ipso instanti martyrij, quod est idem cum instanti mortis. Et hæc sufficiant de hoc puncto, quod ad praxim, ut diximus, reduci non potest: nunc iam veniamus ad alia magis practica.

SECTIO. II.

Aligna alia dubia de peccatis, quæ sunt materia confessionis, & præsertim de peccatis dubiis.

Primo dubitari potest de peccatis venialibus, an sint materia sufficiens huius Sacramenti? De hoc tamen diximus supra disp. 15. sect. 1. vbi explicuimus, quomodo ex verbis Christi, *quorum remisistis*, &c. colligatur potestas remittendi venialia, licet non colligatur potestas ad illa retinenda.

Secundò dubitari potest de peccatis, quæ iterum iam homo confessus est, & à quibus fuit ritè absolutus, an possint esse materia secundæ confessionis, de quo etiam diximus disp. 13. sect. 3. vbi explicuimus quomodo verificentur verba absolventi, & remittendi etiam de peccatis iam antea remissis.

§. I. Dubium incidens; *An oporteat penitentem explicare, quod peccata illa sit, vel non sit confessus?*

Solum pro praxi restat breuiter notandam circa eiusmodi confessiones, in quibus repetuntur peccata præterita, aliquos velle, quod penitens debeat explicare se iam iterum confessum fuisse illa peccata, ne confessarius decipiat, existimans illam esse materiam necessariam confessionis cum non sit. Quod quidem pendet ex altero dubio contrario: an scilicet qui facit confessionem generalem, & confitetur simul aliqua peccata commissæ post ultimam confessionem, quæ nunquam prius confessus erat, debeat explicare illa peccata esse commissæ post confessionem ultimam, ut Confessarius ea excipiat tanquam materiam necessariam. In quo dubio aliqui dicunt debere omnino id explicare: Imò Luissius Turrianus in opusculis Theol. centur. Theol. 4. dub. 7. dicit contrariam sententiam non esse probabilem, nec tutam in praxi, sed potius perniciosam bonis moribus. Huius autem censura adeò rigida nullam protulit rationem affert, nisi quod sæpe necesse est explicare tempus, quo peccatum commissum est. Primum si sit reservatum commissum à Religioso, quod ab eodem in sæculo commissum non est reservatum. Secundò, si penitens nunc sit in proxima occasione peccandi, & iterum relabendi. Tertiò, si penitens habeat consuetudinem præsentem peccandi, debet illam explicare, ut Sacerdos applicet illi medicinam, & iudicet, an sit dispositus ad absolutionem.

Ceterum excessit hic Auctor in censura absque fundamento. Ad primum enim, & secundum facile responderetur, tunc esse obligationem, non quidem dicendi, an sit confessus iterum illud peccatum, sed an sit reservatum, vel an habeat occasionem proximam, quæ quando potest relinqui, arguit illud peccatum, imò indispositionem præsentem, si non relinquitur. Ad tertium: supponit falsum, quod penitens ex se debeat dicere consuetudinem præteritam, nisi interrogetur cum iam peccata præterita ritè confessus est. Alij ergo melius negant talem obligationem penitentis, ut debeat explicare non fuisse antea se confessum illa peccata. Ita Bonacina disp. 5. de Sacram. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 4. n. 5.

Bb 2 Homobonus

Homobonus de Bonis in consult. cas. conf. vol. 2. part. 5. respons. 132. Diana 2. tom. tract. 4. resol. 62. & tom. 3. tract. 3. de conscient. dub. resol. 65. & ante illos S. Thom. Sanch. l. 1. in Decal. c. 10. n. 71. Suar. in præf. disp. 22. sect. 9. qui duo loquuntur in primo casu, quo scilicet non tenetur pœnitens explicare sed iam iterum confessum fuisse illud peccatum, sed posse peccatum antiquum confiteri, non explicando tempus, in quo etiam casu idem dicit Coninch. in præf. disp. 17. dub. 8. n. 69. Rationes autem probant in utroque casu; quia scilicet peccatum idem est, siue illud antea confessus fuerit, siue non, nisi forte mutatio temporis afferat secum circumstantiam specie diuersam, vt se accuset coniugatus de peccato contra castitatem commisso, quando erat solutus: nisi enim explicetur tempus, Confessarius apprehendet speciem adulterij, quando verò peccatum idem est, non est, cur debeat explicari circumstantia temporis. Cum ergo peccatum idem sit, siue antea illud confessus fuerit, siue non, nec illa circumstantia variet vllō modo peccatum, non est, cur debeat necessariò explicari. Quæ quidem ratio non solum probat in sententia negante obligationem explicandi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem; sed etiam in scientia contraria. Vnde Suar. & Sanchez qui dicunt debere explicari illas circumstantias, adhuc negant hoc debere explicari. Ratio autem est, quia circumstantia illa non se habet ex parte peccati; sed ex parte pœnitentis, quare illa non explicata, adhuc explicatur totum peccatum secundum totam suam gravitatem specificam, & secundum circumstantias omnes ipsum aggravantes.

48. Obiiciunt, quia magis distat peccatum remissum à non remisso, quam veniale à mortali: nam ens, & non ens magis distant, quam ens magnum, & parvum, sed pœnitens debet explicare eam circumstantiam, quæ facit, quod peccatum transeat de veniali in mortale, vel è contra: vnde qui odium habuit, vel occidit sine advertentia plena, debet explicare defectum advertentia plenæ: Ergo debet etiam explicare, an confessus sit illud peccatum, vel non sit confessus, cum ea circumstantia transferat de materia necessaria in non necessariam, quæ est plusquam differentia specifica in genere moris.

49. Respondetur distinguendo maiorem: magis distat secundum statum præsentem, concedo: magis distat secundum statum, quem habuit, quando fuit commissum, nego: & tunc negatur consequentia. Pro cuius declaratione, adverte, peccatum non esse materiam confessionis, provt est habituale, seu provt habet maculam habitualement perseverantem: nam pœnitens non se accusat de peccato habituali, nec de perseverantia maculæ, sed præcisè de actu præterito, & de peccato actuali, quod fuit. Alioquin si peccatum fuisset paulò post per contritionem deletum, deberet etiam explicari, illa circumstantia. Cum ergo solum detur pro materia actus peccati, provt fuit, quando fuit commissum: & provt sic non sit differentia inter illud, quod iam nunc est ablatum per confessionem præcedentem, & quod non est ablatum; consequens est totam illam differentiam esse extrinsecam, & per accidens in ordine ad accusationem. Peccatum autem veniale, & mortale differunt penes id, quod habuerunt, quando fuerunt commissæ: quare differentia illa explicanda omninò est, quando deferuntur ad hoc iudicium.

50. Dicant: Confessarius potest interrogare, & pœnitens debet respondere, an confessus iterum sit illud peccatum: ergo illa etiam circumstantia ne-

cessariò explicanda est in confessione præfenti. Respondetur, idem argumentum fieri posse de circumstantiis aggravantibus intra eandem speciem, quæ pœnitens interrogatus non potest negare, licet ipse de se illas explicare non teneatur. Admissio itaque antecedenti, negatur consequentia, quia multa potest, & aliquando debet interrogare Confessarius ad melius exercendum suum munus, quæ pœnitens non interrogatus explicare non tenetur, vt dicemus infra sectione sequenti.

Sed contra hoc virget, quod hæc circumstantia necessaria omninò est ad hoc, vt Confessarius possit prudenter imponere pœnitentiam; nam leuiorem debet imponere pro peccatis iam iterum puniis in alia confessione, quam pro nunquam puniis: ergo non potest pœnitens illam tacere. Respondetur, multa alia sunt, quæ possunt Confessarium prudenter mouere ad minuendam, vel augendam pœnitentiam, quæ tamen non debet pœnitens explicare, vt, g. quod pœnitens intensum, vel remissum dolorem habeat de peccatis; quod ex se aliunde plura satisfactoria opera exerceat; quod peccatum fuerit cum intentione, & maiori affectu admissum, quantitas etiam maior, vel minor furti iuxta sententiam probabiliorem, quod eiusmodi circumstantiæ aggravantes non debent explicari. Quomodo autem Concilium Tridentinum vtatur ea ratione, & ex obligatione imponendi pœnitentiam colligat necessitatem explicandi circumstantias mutantes speciem, dicemus postea dista sect. seq.

Dices adhuc: pœnitens dicens se velle facere confessionem generalem, eo ipso indicat peccata illa, quæ confitetur esse antiqua & non proximè commissæ: sed si expressè diceret ea peccata esse antiqua, deciperet graviter confessarium; ergo idem erit, si implicite id dicat: nam explicite, & implicite quoad hoc non videntur differre: Ad hoc aliquis fortasse diceret pœnitentem sufficienter declarare suum peccatum, etiamsi expressè diceret illud fuisse factum anno præterito, cum factum sit hoc mense: quia illa circumstantia videtur esse omninò extrinseca: sicut si diceret se, dum esset velitus, odio habuisse Petrum, cum tamen esset tunc in lecto nudus; nam odium idem est, & secundum se totum declaratur.

Aliundè verò videtur non sufficere illam confessionem, quia iuxta probabilem satis sententiam, quam ex Philosophia suppono, actiones, & actus voluntatis durant seipsum, atque adeò assignantur essentialiter ad talem durationem: vnde actus voluntatis, qui sit hodie, non est idem cum eo, qui pertinet fieri anno præterito: ergo si dico me peccasse anno præterito, non confiteor peccatum, quod feci hodie, sed aliud distinctum, quod nunquam feci. Vnde, sicut si ille, qui occidit Petrum fratrem Confessarii, dicat se occidisse alium, nempe Iohannem, ne Confessarius suspicetur, quod occiderit eius fratrem; hic non videtur sufficienter confiteri; quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit: sic in nostro casu, qui dicit se non peccasse hodie, sed anno præterito, non dicit peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit.

Quidquid sit de hoc, ad obiectionem propolitam facile respondetur, in nostro casu pœnitentem, licet non omninò explicet distinctè suum peccatum, imò vellet, quod Confessarius intelligat de alio; verè tamen habere intentionem illud confitendi, atque idè de illo loqui, nec aliquid contrarium dicere. Nec obstat, quod dicat se velle confessionem generalem facere; per hoc enim non dicit se velle confiteri sola peccata antiqua, sed velle se etiam illa comprehendere; nam confessio

confessio generalis omnia peccata complectitur vique ad hanc horam. Nec etiam refert, quod Confessarius intelligit illud esse peccatum antiquum: penitens enim id non dixit; atque idem intentio absolventi non regulatur ab excommunicatione priuata Confessarii, sed intendit absolvere à peccatis, quæ penitens detulit ad iudicium, quæcumque illa sint. Sicut, si quis affert baptizandum infantem, & dicit esse filium suum, cum non sit, sed supponit vnum pro alio, adhuc infans est baptizatus, quia minister intendit baptizare, non eum, quem putat esse, sed eum, quem præsentem habet, quicumque ille sit. Denique non refert, quod penitens videatur implicite indicare, quod sint peccata antiqua: nam ipse verè habet animum loquendi de peccatis nouis, & de illis vult loqui, licet desideret non intelligi quoad hoc à confessario: non est ergo idem loqui obsecrè, ne intelligatur de illo de quo loquitur, ac expresse negare; quia in primo casu verba verè significant id, quod vult confiteri, atque idem defert peccatum verum; in secundo autem casu verba non possent significare verum peccatum, sed falsum.

Potest autem ad hoc retorqueri exemplum supra positum: si aliquis, v. g. qui habuit rem cum sorore ipsius Confessarii, cuius hospes est; velit confiteri suum peccatum, sed ita obscure, vt non suspicetur Confessarius de sua sorore, ad quem finem dicat; ergo peccauit cum quadam femina, quam in Ecclesia vidi, & concupiui: tunc Confessarius nihil suspicatur de sua sorore; non tamen limitat absolutionem ad culpam habitam cum alia femina, sed intendit absolvere ab illo peccato, quod penitens dicit, quæcumque femina illa fuerit: nec aliquis dicit illum non esse ritè confessum: si verè eam feminam in Ecclesia vidit, & concupiuit, licet Confessarius priuata excommunicatione de alia existimauerit, & non de sorore sua. Similiter ergo in casu nostro peccata illa noua sufficienter explicata sunt, & absolutio ad illa refertur ex generali intentione, licet Confessarius priuata excommunicatione intellexit esse peccata antiqua, & iterum confessioni subiecta.

§. 2. An qui facit confessionem generalem possit omittere aliqua peccata.

Circa hoc ipsum dubitari rursus solet, an qui facit confessionem generalem, debeat omnia prorsus peccata mortalia vitæ præteritæ confiteri; an possit aliqua omittere, cum iam iterum illa eadem ritè confessus sit. Negant aliqui, si dicat se velle omnia peccata confiteri, quia deciperet grauiter Confessarium, qui iudicaret eum castè, & piè vixisse, tacitis grauioribus, & turpioribus peccatis. Ita Victorius in summa §. 153. alius 166. & Ledesma 2. part. quart. q. 8. art. 2. dub. 15.

Verius tamen est, non esse obligationem grauem dicendi omnia mortalia, à quibus iam olim validè fuit penitens absolutus: vt cum aliis docet Henriquez lib. 2. de penitent. cap. 12. §. 2. in Glossa littera D. Diana tom. 2. tractatu quarto, resolut. 86. & alij plures Salmaticenses, quos sequitur, & refert Ioannes de Salas in manuscriptis. Ratio autem est, quia penitens non decipit Confessarium in materia huius iudicii: solum enim dat pro materia ea peccata, quæ confitetur, illa autem alia, quæ tacet non dat, nec tenetur dare, cum illa alia confessus fuerit: quod verò promiserit se velle facere confessionem generalem totius vitæ; est quidem mendacium, sed non circa materiam Sacramenti, sed circa aliquid extrinsecum, sicuti si dixisset se fuisse abstinentem, deuotum, aut affectum ad orationem: quæ quidem aliquando possent continere

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

hypocrisim, grauiter culpabilem; aliquando tamen solum venialem: non debet ergo damnari peccati mortalis, qui ex proposito taceret magnam partem peccatorum in confessione generali, multò minus qui taceret aliqua vel ex negligentia, vel etiam ex tædio, aut ex alia causa: sicut enim tota confessio generalis est libera, & ex supererogatione; sic liberum est illam magis, vel minus generalem facere.

Hinc obiter aduerte contra Syluestr. verbo confessio 1. questione 6. & Victoriam in summa num. 196. non esse contra valorem Sacramenti, si aliquis habeat duos confessores, quorum alteri prius confiteatur mortalia, alteri postea solum venialia, quod docent Suar. & alij omnes Recentiores; quos congerit Diana tom. 2. tract. 4. resolut. 232. Ratio autem est, quia licet tunc etiam secundus Confessarius decipiatur, putans penitentem illa sola peccata fecisse ab vltima confessione: penitens tamen non mentitur, sed solum proponit illa, in quo nullum est mendacium.

§. 3. An sit obligatio confitendi peccata dubia?

Tertio ergo dubitatur principaliter de peccatis dubiis, an sint materia necessaria confessionis? Supponitur autem dupliciter esse posse peccatum dubium, primo modo per dubium positium, quando scilicet aliquis habet rationes, vel motiua probabilia ad credendum se fecisse tale peccatum, & ad credendum etiam oppositum, vel certè habet saltem rationes probabiles ad credendam vnā partem, licet ad aliam non habeat. Et in hoc sensu communiter docent omnes hunc non teneri ad confitendum illud, quod probabiliter indicat se vel non fecisse, vel non peccasse mortaliter in illo, vel confessum iam fuisse illud, quia iam sequitur iudicium probabile, quod sicut in aliis materiis, sic etiam in hac sufficit ad obseruandum præceptum. Quando verò probabiliter credit se illud fecisse cum culpa graui, nec illud confessum fuisse, nec habet rationes ad credendum probabiliter oppositum, tunc tenetur id confiteri, quia non habet iudicium probabile, quod sequatur ad omittendam confessionem illius.

Secundo modo contingit dubium negatiuum, quando scilicet non habet rationes ad probabilem assensum huius, vel illius partis, pro vt se habet homo ad hanc propositionem, *sidera sunt paria*: ad quam concedendam, vel negandam non habet argumentum positium, & in hoc sensu est potissima difficultas: an qui dubitat de peccato mortali à se commisso, & quod confessus non sit, debeat necessariò illud sub dubio confiteri? In quo puncto conueniunt etiam omnes in hoc, quod is, qui scit se peccasse mortaliter, dubitat tamen an illud peccatum sit confessus, debeat illud confiteri: nam tunc possessio est contra penitentem: constat enim de peccato, & de obligatione confitendi; non autem constat de confessione. Imò Egidius de Coninch. in præsent. disput. 7. dub. 8. numero 68. addit idem dicendum esse, quando constat certo de peccato commisso, & solum probabiliter existimatur fuisse dictum in confessione, quia debito certo non satisfit per solutionem incertam, pro quo alios affert Diana 2. tom. tract. 4. resolut. 107. Hoc tamen non videtur verum (vt dixi) quia in aliis etiam præceptis obligatio est certa audiendi sacrum, v. g. ieiunandi, recitandi officium, &c. & tamen satisfacit homo,

Bb 3 si

si iuxta probabilem sententiam ieiunet, audiat sacramentum, vel recitet officium: cur ergo non satisfaciat per confessionem probabilem obligationi confitendi? Imò nihil frequentius apud Theologos, quam excusare à reiteranda confessione eum, qui confessus est confessorio habenti solum iurisdictionem probabilem, hoc est iuxta probabilem aliquam sententiam de eius valore. Ij etiam, qui dicunt probabile esse quod detur Sacramentum pœnitentiæ validum informè non sequenter dicunt illa peccata non esse iterum confitenda, licet reuera valor præcedentis confessionis solum sit probabilis.

60.

Dices, si debes ex contractu centum, non liberaris ab obligatione totali, nisi per solutionem certam. Respondetur in primis, si illa centum debeatur ex promissione liberali, videtur satisfieri solutione probabilis: sicut qui ex voto debet ieiunium si ieiunet observando ieiunium iuxta probabilem opinionem, licet non iuxta certam. Si autem debeatur ex contractu oneroso, vt ex exemptione, permutatione, &c. tunc fortasse non satisfacit, quia non seruatur æqualitas dando pro re certa aliam incertam, quæ eo ipso minus valet; & quia intentio contrahentium ea videtur esse, vt detur sibi pecunia certa pro mercibus certis: quæ rationes in nostro casu non procedunt magis, quam in aliis omnibus præceptis, vt constat.

61.

Restat ergo difficultas tota de peccato, de quo est dubium, an fuerit commissum, & an fuerit mortale. Aliqui dicunt, quando est dubium, an sit commissum, non esse obligationem confitendi illud, secus quando constat esse commissum, dubitatur verò, an fuerit mortale aut veniale. Ita Cönnich vbi supra, numero 69.

Hoc tamen non videtur consequenter dictum, nam si homo excusatur in priori casu, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, nec debet condemnari, aut cogi pati sententiam propter delictum, quod non probatur, eodem modo in casu posteriori excusabitur propter easdem rationes, quia possidet etiam suam libertatem, & non debet cogi pati sententiam propter delictum, quod non probatur: nam licet constet fuisse peccatum: non tamen omne peccatum est materia necessaria huius iudicii. Sicut si aliquis scit se fecisse hodie aliquem actum virtutis in genere, dubitat autem an fuerit votum non est reus voti, quia non omnis actio virtutis est votum.

62.

Ideo alij vniuersaliter videntur sentire, non esse obligationem confitendi illud peccatum, quod post debitum examen, dubium manet, an fuerit, vel non fuerit commissum, vel etiam si constet fuisse commissum, dubitatur, an fuerit mortale, aut veniale. Ita videtur tanquam sibi probabile proponere Paulus Layman tom. 1. *Theologia moralis, lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 37.* licet in fine concludat se nihil in hoc puncto velle decernere, sed solum alijs cogitandum proponere, & postea Ioan. Præpositus in presenti, quest. 5. de integritate confessionis, dub. 3. num. 117. dicit esse speculatiue probabile, licet in praxi non sit à contraria recedendum.

63.

Omnes tamen alij Theologi docent peccata mortalia dubia esse necessariò confitenda, siue dubium sit de substantia actionis, an fuerit facta, siue an fuerit mortalis, siue an fuerit iam illud peccatum in confessione dictum. Ita S. Thomas cum alijs quos latè referunt, & sequuntur Suarez disp. 22. sect. 9. & Thom. Sanchez lib. 1. in decalogum, cap. 10. num. 66. qui hanc dicunt esse rem omnino certam. Probat aliqui primò, quia in dubiis tutior pars est sequenda. Sed hoc principium patitur multas exceptiones, quare sicut in dubio vo-

ti non cogitur aliquis obseruare votum, licet sit tutius, non apparet, cur cogatur confiteri peccatum in dubio, eo quod id sit tutius; præsertim cum vtrobique æque possideat suam libertatem.

Probat secundò, quia in voto, & in debitis iustitiæ, si obligaretur aliquis soluere: obligaretur ad aliquid ultra limites dubij, nam obligaretur ad solutionem certam debiti dubij: & in nostro casu non obligatur penitens ultra limites dubij, cum solum obligetur ad confitendum, vt dubium id, quod est dubium. Sed contra, quia hæc ipsa est obligatio ad aliquid certum: nam confessio peccati dubij est aliquod onus certum, & non ita leue, licet autem sit minus, quàm quod deberetur peccato certo, eodem tamen modo posset pro dubio, vel pro debito dubio iustitiæ obligari aliquis ad solutionem non integram, sicut pro debito certo, sed partialem, quæ parum non excederet etiam debitum dubium.

Tertiò probari posset ex institutione huius Sacramenti, quod institutum est per modum remediij vniuersalis contra omnia peccata post baptismum commissæ: Vnde oportuit, quod etiam peccata dubia posset affert ad Tribunal Sacerdotis, alioquin enim ille, qui solum haberet peccatum mortale dubium, non haberet remedium in hoc Sacramento, æque esset prioris conditionis, quàm ille alius, qui haberet peccatum mortale certum. Propter fauorem ergo animarum debuit extendi hoc iudicium sacerdotale etiam ad peccata dubia, vt contra illa daretur remedium aliquod præter contritionem.

Sed neque hoc videtur efficax, quia peccatum etiam probabile, seu de quo est probabile esse commissum, & probabile non esse commissum, pertinere potest ad hoc iudicium, & potest aliquis se de illo accusare, vt (si fortè fuit peccatum) remittatur ex vi Sacramenti, & tamen non est materia necessaria, quæ sub obligatione confitendi sit, vt diximus. Sic ergo potuissent peccata dubia explicari in confessione ex institutione huius Sacramenti, liberè tamen, & absque obligatione, sicut explicantur peccata probabilia, & peccata etiam venialia, fauori ergo animarum conducit, vt extendatur materia Sacramenti, non vt extendatur obligatio, quæ potius videtur odiosa quàm fauorabilis.

Potissimum ergo fundamentum huius doctrine, desumendum est ex vfu, & praxi totius Ecclesiæ, cuius initium non agnoscitur, quare credendum est ab ipsis Apostolis promanasse, qui vim, & obligationem inclusam in huius Sacramenti institutione meliùs potuerunt intelligere. Potest autem hoc ipsum ex Sacramenti natura deduci: nam hoc Sacramentum in lege noua institutum est per modum tribunalis, in quo Deus reliquit Vicarios suos, ad quos recurrere deberent Christiani pro remissione peccatorum obtinenda eo modo quo ad ipsum Deum priùs immediatè recurrere tenebantur per contritionem, & eo modo quo ad ipsum Deum recurrerent, si visibilis aliquod Tribunal in terris egeret, in quo visibiliter peccatores lapsos sibi reconciliaret, & eis veniam peccatorum concederet: nam cum Sacerdotes Vicarij Dei, & Christi fuerint constituti, eorum Tribunal ad easdem causas debet extendi, ad quas extenderetur tribunal Dei, si ipse immediatè in hoc tribunali sederet. Quo argumento vtitur in simili Tridentinum sess. 14. cap. 1. vbi necessitatè confessionis probat, ex eo quod Sacerdotes relictì sunt à Christo, vt sui Vicarij; & idè necessarium est ad illos recurrere, sicut recurreretur ad Christum. Porro ad Tribunal Dei, si ipse immediatè huic

huic iudicio præfesset cogere non solum illi, qui certa peccata haberent, sed etiam qui dubia; enim omnes cogentur ad illud visibile Tribunal accedere, qui ante legem gratiæ tenebantur accedere ad Tribunal invisibile Dei, procurando veniam peccati per remedium contritionis, ad quam quidem contritionem habendam tenebantur etiam, qui peccata dubia habebant; & hoc non solum in mortis articulo constituti, ne se exponerent periculo damnationis æternæ; sed etiam in vita, eo modo, quo alij, qui peccata mortalia certa habebant, debebant etiam aliquando in vita de illis conteri, ut redirent in gratiam, & amicitiam Dei; ergo de primo ad ultimum, cum hoc Tribunal Sacerdotum succedat loco divini Tribunalis, ad quod illi etiam, qui peccata dubia habebant, debent accedere, consequens est, quod ad hoc etiam Sacramentum cum eisdem peccatis dubiis accedere teneantur.

Objicies primò; præceptum servandi aequalitatem cum proximis in materia iustitiæ non obligat nos ad satisfaciendum illis, aut ad petendam veniam, quando dubitamus de iniuria, offensa illis à nobis illata: Ergo nec præceptum procurandi pacem, & amicitiam cum Deo, obligat non ad petendam veniam, & offerendam penitentiam, quando dubitamus de offensa divini à nobis posita. Respondetur negando consequentiam. Ratio autem discriminis sumitur ex ipsis præceptis; nam præceptum restituendi, & satisfaciendi proximis, licet appareat affirmativum, re tamen vera est negativum; est enim idem præceptum non lædendi proximum, cui præcepto opponitur læsio in fieri & eadem continuata, quando non compensatur, & redditur, quod reddi debet. Vnde quando non constat de læsione facta, non est obligatio restituendi, non enim offendit mihi adversarius aliquod ius læsum, contra quod ergo operer non restituendo. At verò præceptum penitentia est affirmativum, scilicet præceptum, & obligatio procurandi positivè pacem, & amicitiam divinam, ad quod non sufficit, quod non sciam me violasse eius præcepta, aut Deum offendisse; sed oportet agere, ut sciam aliquo modo me eius gratiam, & amicitiam retinere. In quo differt Deus à proximis nam erga hos satis est, si nescias te illos læsisse, vel offendisse: non enim teneris positivè ad procurandam aequalitatem cum illis, sed negativè ad non ponendam inaequalitatem: erga Deum verò propter ipsius dignitatem infinitam non sufficit, si nescias te illum offendisse; sed oportet procurare positivè illius gratiam, & amicitiam, atque adeo facere, ut scire possis aliquo modo te in eius pace, & amicitia conservari. Hinc ergo fit, ut qui dubitat de offensa gravi in Deum à se posita, teneatur positivè ad petendam, & procurandam veniam, atque adeo ad ostendendam penitentiam saltem sub conditione.

Sed contra objicies secundò: Ergo ille etiam, qui habet dubium probabile de peccato mortali, debet illud confiteri, licet probabiliter iudicet, non fuisse peccatum grave; quia hic etiam teneatur positivè procurare gratiam, & amicitiam Dei ad quam procurandam videtur necessarium confiteri peccatum probabile, sicut peccatum dubium. Respondetur negando sequelam, quia ille iudicans probabiliter se non peccasse, probabiliter etiam iudicat se retinere gratiam, & amicitiam Dei, atque adeo probabiliter observat præceptum de procuranda amicitia divina, sicut observantur alia præcepta cum simili iudicio probabili; in mortis tamen articulo deberet procurare remedium pec-

penitentia, ne se exponeret periculo damnationis, si forte peccasset: qui verò non habet iudicium probabile, sed merum dubium, non potest probabiliter iudicare se retinere gratiam Dei, atque adeo teneatur ad id faciendum, quod requiritur, ut possit tale iudicium habere.

Tertiò objicitur, quia in Tridentino dicta sess. 14. cap. 5. & can. 7. ubi explicatur materia necessaria confessionis, nihil prorsus dicitur de peccatis dubiis: ergo horum non est necessaria confessio, alioquin non debuisset prætermitti doctrina necessaria de hac obligatione. Respondent aliqui Concilium id non negasse, nec oportere, quod omnia, & singula distinctè traderet, sed ea, de quibus erat controversia cum hæreticis. Alij dicunt in Concilio ipso fuisse implicite dictum, quatenus sola venialia excipit ab obligatione confessionis, & quatenus dicit peccata esse detegenda eo modo, quo sunt in conscientia penitentis: Cum ergo sint in conscientia, tanquam dubia, eo modo sunt aperienda, utramque solutionem tradit Thomas Sanchez ubi supra, numero 66. & num. 78.

Contra utramque tamen solutionem obstat adhuc idem Concilium illo cap. 5. in quo videntur excludi positivè etiam peccata dubia his verbis, quibus totam solam materiam necessariam explicat. *Constat enim (inquit) nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigere, quam, ut postquam quisque diligenter se exonerit, & conscientia sua sinus omnes, & latebras explicaverit ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminert.* Quæ verba potius videntur oppositum insinuare, dum eorum solum peccatorum exigunt confessionem, quorum penitens conscientiam habet: conscientia enim videtur involvere scientiam iuxta illud Bernard. lib. de conscientia, cap. 8. *conscientiam esse quasi cordis scientiam*: peccatorum ergo, quorum non est, scientia, non videtur esse conscientia.

Ad argumentum itaque aliter respondere possumus: Concilium, licet nihil explicuerit de peccatis dubiis, ea tamen non exclusisse, imò in illa generalitate verborum videri inclusa: nam de peccatis dubiis etsi non sit iudicium asseverans; est tamen memoria aliqua, quæ minus est, quàm iudicium. Concilium autem dixit ea peccata esse confitenda, quorum homo *meminit*: per quod verbum solum videntur exclusa peccata oblita, non peccata dubia; hæc enim in rigore non sunt oblita. Item licet horum peccatorum non sit scientia, ea tamen iam sunt in conscientia, quia *conscientia* nomine comprehenditur etiam notitia illa, seu remiscencia dubia: Communiter enim dividi solet conscientia in conscientiam certam, dubiam, erroneam, probabilem, &c. Conscientia ergo dubia conscientia est: Vnde qui habet dubium de peccato commisso, dicitur habere remorsum conscientia; ergo iam est illud peccatum aliqua ratione in eius conscientia, non ut certum, sed ut dubium, quod sufficit, ut talis homo non possit absolute dicere, *nihil mihi conscius sum*.

Confirmari potest solutio ex verbis illis immediate sequentibus, *reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, &c.* In quibus verbis, peccatis iis, quorum memoria est, & quæ confitenda esse dictum fuerat, opponuntur, tanquam alterum membrum peccata reliqua, quæ memoriæ nullo modo occurrunt: in quibus non videntur comprehendi peccata dubia: hæc enim iam aliquo modo memoriæ occurrunt; ergo hæc pec-

cata dubia intelliguntur iam inclusa in priori membro diuisionis.

74. Quartò obijcitur: qui dubitat de præcepto, non obligatur: ergo qui dubitat de peccato commissio, non obligatur præcepto confessionis. Respondetur cum Thoma Sanchez ubi supra, in præsentia non dubitari de præcepto: Nam præceptum est confitendi peccata certa, & dubia: Vnde qui scit se habere peccata dubia, non dubitat de præcepto, licet dubitet de peccatis.

75. Vltimò obijcitur; in dubio, an casus sit reſeruat, non tenetur pœnitens adire ſuperiorem: ergo qui dubitat, an peccatum ſit mortale, non debet adire confeſſarium pro abſolutione, eadem enim videtur eſſe ratio. Respondetur, quidquid ſit de antecedenti, quod aliqui non concedunt negando confeſſentiam, quia reſeruatio peccati, cum ſit lex pœnalis, & ablatio poteſtatis intelligitur ſtrictè de iis ſolum delictis quæ ſunt ſimpliciter talia; homicidium autem non eſt ſimpliciter homicidium, ſed ſecundum quid. At verò lex confeſſionis non eſt reſeruat, aut ablatio poteſtatis; ſed potiùs communicatio poteſtatis, qua Chriſtus poteſtatem, quam ipſe habebat circa peccata communicauit Apoſtoliſ, tanquam ſuis vicariis, vt loco ipſius in eius tribunali ſederent. Sicut ſi Epicoſopus relinqueret Vicarium cum facultate, & poteſtate eadem, quam ipſe habet, intelligeretur etiam relictus ad peccata dubia, & ſubditi deberent ad illum recurrere, ſicut ad Epicoſopum. Cum ergo homines antea deberent recurrere ad Chriſtum pro peccatis etiam dubiis, vt ſupra diximus; eodem modo debent recurrere ad eius Vicarios: nam confeſſio iuriſdictionis, & poteſtatis eſt reſ fauorabilis, & latè interpretanda, vt latè probat Thom. Sanchez lib. 8. de matrimonio diſputat. 2. quare Chriſtus communicans ſuam poteſtatem Apoſtoliſ circa peccata, intelligitur communicaffe illam plenè etiam circa peccata dubia: ſicut erat in Chriſto; per hoc enim nulli auferrebat poteſtatem, ſicut auferretur per reſeruationem, ſed potiùs excommunicabat ſuam de nouo.

76. Dices, legem illam partim eſſe fauorabilem, quatenus dat poteſtatem ſacerdotibus remittendi peccata, & vt ſic extendendam eſſe etiam ad peccata dubia; partim verò eſſe odioſam, quatenus obligat ſubditos ad confeſſionem peccati, & vt ſic reſtringendam eſſe ad peccata non dubia, quæ ſola ſunt ſimpliciter, & abſolutè peccata. Sed contra, quia in hoc Sacramento ſi ſermo ſit de peccato capaci retentionis, non minùs extenditur poteſtas retinendi, quàm poteſtas remittendi: de eiſdem enim peccatis dixit Chriſtus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retenta erunt*: Nam licet peccata venialia poſſint à ſacerdote remitti, & non poſſint retineri; hoc prouenit ex incapacitate materiæ, quia ſcilicet peccatum veniale non poteſt retineri, cum non ſit obligatio petendi veniam ipſius in hac vita. In hoc autem Sacramento non fuit impoſita obligatio circa nouam materiæ, ſed circa eandem, circa quam erat obligatio recurringendi ad tribunal Dei in hac vita pro venia peccati, ſubſtitutum fuit tribunal Sacerdotum, quibus ſicut per illa verba datur poteſtas remittendi plena extenſiue, qualis eſt in Chriſto, ſic datur poteſtas retinendi: Ergo ſicut erat obligatio recurringendi ad tribunal Dei, & Chriſti pro venia peccati dubij, ſine quo reſuſu retineretur illud peccatum in æternum, ſic erit eadem obligatio recurringendi ad tribunal Sacerdotis, nullum enim peccatum retentionis capax remittitur Chriſtianis, niſi per clauſes Eccleſiæ in re, vel

in voto, vt conſtat ex omnibus Theologiſ, nec poterant verba Chriſti abſque ingenti æquiuocatione aliter intelligi, ita vt daret poteſtatem remittendi omnia, remittendi autem non ea omnia, etianiſi eſſent capacia retentionis, ſed ſolum aliqua.

§. 4. An peccatum dictum vt dubium, debeat iterum ceſſante dubio dici vt certum.

77. Circa hoc tamen occurrit quæſtio practica, an ille, qui confeſſus eſt aliquod peccatum dubium, vt dubium, & poſtea facta maiori diligentia, recordatur certò illius peccati, debeat confiteri illud, vt certum, an verò ſufficiat confeſſio præterita. Certum eſt, ſi pœnitens eſt contra confeſſus fuiſſet illud, vt certum, & poſtea incipit dubitare de illo, non teneri iterum confiteri illud, vt dubium, ſicut qui accuſauit ſe decem peccatis, ſi poſtea comperiat fuiſſe ſola ſex, non tenetur iterum confiteri, & accuſare ſe de ſolis ſex. Quando verò confeſſus eſt illud, vt dubium, & poſtea comperit eſſe certum, debere iterum explicari in confeſſione, vt certum, docet Thom. Sanchez lib. 1. in decalogum, cap. 10. n. 69. Turrianus de pœnitentiâ, quæſt. 9. art. 2. diſputatione 29. dubio 6. Diana 2. tom. tract. 4. reſolutione 91. & alij. Ratio eſt, quia ſi ab initio conſtaret peccatum illud, vt certum, deberet, vt certum explicari, obligatio autem illa tunc per accideſ ceſſauit propter ignorantiam & dubium, quod erat: ergo ceſſante illo impedimento dubij vel ignorantiz, redit obligatio confitendi peccatum certum, vt certum, quæ priùs per accideſ fuerat impedita.

78. Contra hanc doctrinam, & eius rationem vigere videtur grauior doctrina alia multorum, qui dicunt, quando pœnitens non potens determinare numerum certum peccatorum, confitetur numerum veriſimilem, verbi gratia, *peierani decies plus, minusve*: ſi poſtea recordetur, ſe peieraſſe duodecim vicibus, non oportere id confiteri, quia illa verba *plus, minusve* complectuntur ad minus illa duo petiuria. Quod docent communiter plures, & graues Auctores, Suarez in præſenti diſp. 22. ſect. 5. num. 38. Vaquez in præſenti quæſt. 91. art. 1. dub. 6. Coninch. in præſenti diſputatione 7. de integritate confeſſ. dub. 7. num. 62. Vega in ſumma 1. part. capite 63. caſu 22. Petrus Ledelma in ſumma tom. 1. cap. 17. Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. dub. 33. Soto in quarto diſſinct. 18. quæſtione 2. art. 4. Sa verbo confeſſio, num. 32. & alij. Ex hoc autem caſu argumentum difficile deſumitur contra priorem caſum de peccato dubio; quia ille, qui dicit, ſe peieraſſe, decies, *plus, minusve*, non dicit, vt certum vnde decimum petiurium, ſed vt dubium: & tamen ſi poſtea recordatur, quod vnde decim, vel duodecim vicibus peierauit, non tenetur dicere iterum, tanquam certum illud vnde decimum, vel duodecimum peccatum quod priùs ſub dubio dixerat: ergo neque etianiſi vnicum petiurium in dubio confeſſus fuiſſet, deberet poſtea certior factus illud vt certum confiteri: cur enim magis vnum quàm vnde decimum debet confiteri, quando vtrumque cum æquali dubio dixit; & poſtea de vtroque æqualem habet certitudinem? Quod argumentum viget amplius poteſt, quia ſi res attentè conſideretur, non ſolum dicitur in prædicto caſu ſub dubio peccatum vnde decimum, vel duodecimum, ſed etiam ipſummet peccatum decimum. Nam qui dicit, ſe peccaſſe decies *plus, minusve*, non affirmat pro certo, ſe peccaſſe decies, ſed relinquit ſub dubio, an fue- rint peccata pauciora, & per conſequens non di-

cit peccatum decimum, vt certum, sed vt dubium; & tamen iuxta prædictos Auctores, etiam si postea recorderetur determinatè, & certò, quod fuerunt decem, non tenetur illa iterum confiteri: ergo sicut peccatum decimum dictum sub dubio non debet iterum dici, vt certum, sic nec peccatum primum dictum sub dubio debet postea explicari, vt certum, quando iam penitens illius certò recorderetur.

Non inuenio apud Auctores solutionem huius difficultatis, quæ (vt verum fatear) apud me tanti ponderis est, vt iuxta sententiam illam supra relata dicentem, peccata dicta, vt dubia postea confitenda, vt certa, quando iam certa sunt, vt satisfiat Christi præcepto, consequenter dicendum censent, quodcumque peccatum, quod solum, vt dubium explicatum est, debere postea explicari, vt certum, quando certò postea cognoscitur, atque adeo eum, qui dicit, se peccasse decies, plus minusve, si postea recorderetur certò, quod fuerint vnde decem: debet id, vt certum confiteri, si recorderetur certò, quod fuerint decem, debere id etiam confiteri, quia prius non solum peccatum vnde decimum, sed etiam decimum dixerat sub dubio: ergo si iam scit certò se commisisse vnde decimum, vel decimum, debet illud, vt certum confiteri, nam sicut si à principio certò sciret se decies peccasse, non potuisset dicere decies, plus minusve; quia hæc verba significant incertitudinem, & dubium de decimo peccato; si postea cessante illo dubio, ratione cuius excusabatur ab explicando absolute, & vt certo illo peccato, debet illud iam absolute, & certò explicare. Hæc, vt dixi, mihi videntur consequenter dicenda iuxta doctrinam illam, quia illi Theologi docent, peccatum dictum, vt dubium, oblaro postea dubio, debere, vt certum explicari; & ideo fortasse P. Gaspar Hurtado de Sacramentis disp. 9. de penit. difficul. 5. cum dixisset eum, qui confitetur, se fornicatum fuisse decem vicibus, paulò plus, minusve, & postea recorderetur se aliis vicibus fornicatum fuisse, quæ illo priori numero comprehendi poterant, non teneri illas vices de nouo confiteri; statim limitat illam doctrinam, & subiungit, id verum esse, quando penitens, stante adhuc illa noua memoria posset adhuc cum veritate dicere, & iudicare, se decies fornicatum paulò plus, minusve; secus verò dicendum, si tunc penitens non posset id iudicare, siue quia iam nouit certum, & determinatum numerum, verbi gratia, se duodecim vicibus fornicatum; siue quia non posset iam dicere se decem vicibus, plus, minusve fornicatum, sed duodecim vicibus, plus, minusve; & addit rationem, quia sicut si à principio certò constaret penitenti, se duodecim vicibus determinatè peccasse, aut iudicaret, se duodecim vicibus paulò plus, vel minus peccasse, teneretur ita confiteri; Sic etiam teneretur post confessionem factam. Ita ille auctor, quod mihi, vt dixi, apparet magis consequenter dici ad illam aliam sententiam.

Quare vel ita consequenter dicendum est, vel esset neganda illa doctrina, quæ supponitur, & quam Thom. Sanchez, & Turrianus tradunt, quod peccatum dictum, vt dubium, debeat postea iterum dici, quando comperimus, fuisse certum, quæ quidem ex hoc, & ex aliis capitibus non parum difficile est: Primum, quia hæc doctrina, vt vidimus, aperte videtur repugnare cum illa alia communi fere omnium, quod explicatio numero confuso, plus minusve, vigesimo, verbi gratia, postea licet constet certò fuisse viginti duo, non debeant illa duo iterum in confessione dici: & tamen certum est, non solum illa duo, sed etiam ipsum vigesimum

& decimum nouum, non fuisse prius dicta, vt certa, sed sub dubio: ergo iuxta communem Theologorum sensum, & iuxta fidelium praxim, non debemus iterum, vt centum confiteri illud peccatum, quod prius sub aliquo dubio confessi fuimus: nec enim apparet, quomodo hæc praxis communis posset cum illa alia doctrina stare. Et quidem argumentum, quo Turrianus loco citato vtitur, planè procedit etiam in hoc casu. Ille enim sic arguit, quia scilicet peccatum explicandum est in confessione ne pro- vt est in conscientia penitentis: prædictum autem peccatum iam est in conscientia penitentis, vt certum, qua ratione non erat subiectum clauibus, sed solum, vt dubium est: ergo adest obligatio manifestandi illud in confessione. Hoc, inquam, argumentum eodem modo procedit in illo alio casu: nam quando se accusat aliquis de viginti periculis, plus minusve, tunc vigesimum primum, vel secundum, iam est in conscientia penitentis, vt certum, qua ratione non erat subiectum clauibus, sed solum vt dubium; Ergo erit obligatio illud manifestandi, vt certum in confessione, & quidquid ad hunc casum responderis, poteris ad primum respondere.

Confirmatur, quia quod illud peccatum dicatur cum aliis, vel seorsim, parum videtur referre. Pone enim, quod dicat, accuso me de decem periculis certis, & tursus de alio dubio: tunc iam seorsim se accusat de isto vndecimo: Idem autem est, si dicat accuso me decem plus, minusve, quia tunc etiam de aliquibus se accusat, vt certis, & de aliis, vt dubiis: Ergo idem in vtroque casu dicendum est.

Secundò, eidem doctrinæ obstare videtur alia praxis communis fidelium, qui in pueritia rudiores magis grosso modo confitentur; rustici etiam minus subtiliter declarant numerum peccatorum, eorum tamen confessiones non esse postea ex necessitate repetendas, dicunt graues Doctores, & praxis ita obseruat: quia nimirum confessarius, qui statum, & conditionem talium hominum nouit ex tali modo confitendi cognoscit numerum confusum, quantum iuxta eorum capacitatem explicari potest, & ita habet notitiam sufficientem. Si autem superior doctrina vera esset, deberemus postea eiusmodi iuvenes obligare ad repetendas confessiones illas factas in pueritia, & rusticos etiam quando magis instructi sunt, quia sub illa confusione negari non potest, quod plura peccata dixerunt, non vt determinatè certa, quæ modo diligenti examine certa inuenissent. Quis tamen hoc onus imponat confessariis? Dicendum ergo est illa peccata sufficienter iam fuisse ad clauas deducta, neque esse obligationem illa iterum deducendi.

Tertiò à simili argui potest: quia si aliquis dubius de excommunicatione, censura, irregularitate, voto, &c. petat ad cautelam absolutionem, vel dispensationem, & ea obtenta postea comperiat, censuram, aut vinculum fuisse certò contractum: non indiget noua absolutione, vel dispensatione: quia ad hoc ipsum data fuit prior absolutio, vel dispensatio, vt si vinculum fuit verè contractum, dissoluatur: Ergo si postea comperit vinculum fuisse verè contractum, eo ipso comperit, positam fuisse conditionem, sub qua absolutio, vel dispensatio data fuerat, atque ideo illam transisse in absolutam, & habuisse suum effectum, quare non indiget noua absolutione, aut dispensatione: Ergo hoc ipsum de peccato dicendum est, quando aliquis proponit illud prout est in sua conscientia sub ratione dubij, non indigere postea noua absolutione, cum fuerit absolutus sub conditione, si verum peccatum

peccatum fuit. Imò ipse Sanchez *lib. 4. in decalogum cap. 44. num. 10.* aperte fatetur; quod si aliquis in dubio de voto castitatis emissio petat eius dispensationem ab Episcopo (quia in eius sententia votum dubium non est reservatum) dispensatio valet, ita ut licet postea constet votum fuisse certum, non indigeat alia dispensatione, quod idem de absolutione ab excommunicatione, vel à casu reservato dubio dicemus *infra disp. 20. sect. 2.*

84. Vnde quartò possumus à priori arguere: quia quando es confessus peccatum ut dubium, si fuit verum peccatum, absolutio cadit supra illud, & non quidem indirectè, sed directè: qui ad hoc ipsum illud confiteris, ut absoluaris ab illo: & probatur clarè quia in aliquo casu teneris illud solum confiteri, & dare pro materia absolutionis, si aliud non haberes: ergo tunc Sacerdos absoluit directè ab illo peccato, absoluit autem directè sub conditione implicita, nempe si fuit peccatum: si enim peccatum non fuit, non absoluit directè, vel indirectè ab illo: ergo si fuit verum peccatum, absolueris directè ab illo: ergo licet postea constet certò, fuisse peccatum, non debes iterum ad iudicium illud deferre. Ad quid enim; non certè ad absolutionem directam obtinendam; quia iam directè absolutus es ab illo. Neque etiam, ut des notitiam certam illius Confessario: nam notitia talis debet tota esse in ordine ad absolutionem, quia tamen iam non indiges, cum sis directè absolutus: & quia aliquin sufficeret dare illam notitiam etiam extra Sacramentum, cum non ordinetur ad absolutionem. Repugnat ergo, quod absolutionem directam obtinueris toties peccati, & quod adhuc sit obligatio deferendi iterum illud idem peccatum ad iudicem pro obtinenda absolutione.

85. Confirmatur, & explicatur, quia tota obligatio confitendi peccata continetur in illa potestate *relinendi*, quam Sacerdotes accipiunt: retinent autem, quæ non solvunt, & quandiu retinent, est obligatio deferendi peccata ad eos, ut solvant: sed postquam Sacerdos solvit directè, in quantum potuit aliquod peccatum, si fortè peccatum erat; iam non videtur illud retinere, cum soluerit; ergo cessat obligatio illud confitendi, cum iam non sit peccatum retentum, sed directè solutum.

86. Obijcies primò, hæc argumenta nimium probare: quia sequitur, quod etiam si aliquis dixerit peccatum, non ut dubium, sed ut possibile, & petat eius absolutionem ad cautelam, postea sciens, se illud peccatum revera commisisse, non tenebitur illud confiteri. Probatum sequela ex dictis: quia si petat aliquis à Pontifice dispensationem cuiuscunque irregularitatis, si fortè contraxerit, licet nec dubium habeat de aliqua; obtenta hac dispensatione, non indiget postea nova petitione; etiam si postea comperiat, quod aliquam irregularitatem revera contraxerat: quod idem de censura dici debet: ergo si exemplum est ad rem idem deberet dici in peccatis; atque adeo si aliquis se accusat solum sub conditione de peccatis, si illa contraxerit, non debet postea illa confiteri, licet prius, nec ut dubiè illa dixerit.

Responderi posset, idem argumentum fieri posse contra illum alium casum, qui ab omnibus recipitur: nam si aliquis se accuset de viginti periuriis, & addit, si fortè plura commissi, quod ego non scio, de omnibus me accuso, hic certè non excusatur ab aliis viginti confitendis, quæ postea illius memoriæ occurrant; & tamen quando sub dubio se accusavit de illis dicens, accuso me de quindecim certis, & dubito an fuerit maior numerus usque ad viginti, conceditur absolutus directè ab illis, & non

indigere nova illorum confessione. Responderetur ergo ad obiectionem negando sequelam. Ratio autem discriminis est clara: quia Pontifex potest sub conditione tollere irregularitatem, & similia vincula, etiam non præcedente accusatione; At verò Sacerdos in Sacramento non potest tollere directè vincula peccatorum, etiam sub conditione, nisi ut iudex, & præcedente accusatione: ille autem, qui solum proponit, ut possibilia, nullo modo accusat, ut constat: ergo non subdit iudicio, aut potestati Sacerdotis, sicut subijcit, qui proponit ea, ut dubia, & propterea sunt in conscientia ipsius penitentis.

Secundò obijcies: peccata debent manifestari, propterea sunt in conscientia penitentis: sed hoc peccatum in conscientia penitentis iam non est dubium, sed certum; ergo debet manifestari, ut certum. Hoc argumentum quod fuit fundamentum Turriani, vidimus probare, quod etiam peccatum vigesimum primum, cognitum postea ut certum debet confiteri de novo penitens qui confessus est viginti, *plus, minusve*, quia iam illud peccatum est certum in conscientia penitentis. Omnes ergo debent respondere, peccatum debere aliquando manifestari, propterea est in conscientia penitentis solum quando manifestatur, non propterea est postquam penitens ab eo plene, & directè fuit absolutus.

Ad quod deseruit etiam exemplum censuræ, vel irregularitatis supra adductum: Nam si petas absolutionem à censura ad cautelam, vel dispensationem irregularitatis ad cautelam, proponendo illi casum, ut dubium, cum tamen certus sis de censura, aut irregularitate, non satisfacis debito tuo: quia non explicas vinculum; propterea est in conscientia tua: Si autem tunc dubius eras, & post obtentam absolutionem, vel dispensationem cognoscas certò, censuram, vel irregularitatem contrariam fuisse, non teneris iam illam amplius explicare, propterea nunc est in conscientia tua: quod idem de voto dicendum videtur.

Dices, si ab initio fuisset certum peccatum in conscientia, debuisses illud ita manifestare: ergo licet excusatus fueris tunc per accidens propter dubium; postea cessante dubio, redit obligatio confitendi, ut certum, quæ prius fuerat per accidens impedita.

Responderetur, idem argumentum fieri posse de censura, & irregularitate: item de peccato illo, quod ut dubium comprehenditur sub illis verbis, *plus, minusve*. Fatendum ergo est, debuisses à principio dici, ut certum fuisset in conscientia: fuisse item impeditam illam obligationem per accidens propter ignorantiam, vel dubium, sed postea non resurgere illam obligationem cessante impedimento: quia iam cessat etiam finis obligationis illius, qui erat obtinere absolutionem directam illius peccati; quod cum iam supponatur directè solutum per claves, non est, cur iterum clavis subijciatur.

Tertiò obijcies, quia circumstantia quælibet per obliuionem debet postea iterum dici, & quidem totum peccatum, si circumstantia sine illo explicari non potest; ergo quando per ignorantiam omittitur certitudo peccati, debet illa manifestari: Magis enim est de substantia peccati certitudo eius, quam alia circumstantia. Hoc etiam argumentum militat contra illum casum, ut constat quare omnes respondere debent, certitudinem non esse circumstantiam, vel aliquid se tenens ex parte ipsius peccati, sed ex parte manifestationis, seu notitiæ: quare in prædicto casu totum peccatum manifestatum est non tali, & tanta manifestatione, quali, & quanta postea

postea posset manifestari, sed tamen propterea erat in conscientia penitentis, quod solum requiri videtur ex praxi, & aliis argumentis supra adductis.

Quintò obijci potest, quod peccata debent à penitente manifestari, propterea sunt in eius conscientia, sed in eius conscientia illud peccatum iam non est dubium sed certum: ergo debet, ut certum confessio manifestari. Hoc etiam argumentum procedit contra exemplum supra positum de confitente numero incertum peccatorum qui postea licet certò recorderetur, dicitur non teneri ad illum confitendum &c. Quare responderi posset, peccata esse confitenda propterea sunt in conscientia penitentis, quando ea confitentur, non propterea sunt postea, si verè eius speciem, & gravitatem exposuit.

Quintò obijci potest, hinc sequi, quod si penitens bona fide, & per ignorantiam, vel inadvertentiam confiteretur, ut dubium illud, quod tunc sciebat certò à se peccatum, non teneretur postea illud iterum, ut certum confiteri, quia iam fuisset ab illo eodem peccato directè absolutus. Hoc etiam procedit contra idem exemplum casu, quo aliquis bona fide confessus fuisset numerum incertum; quando revera certum sciebat: quare posset in utroque casu negari sequela: quia ad remissionem directam peccati in hoc Sacramento requiritur, quod peccatum dicatur, propterea est saltem tunc in conscientia penitentis, quod in utroque casu deficiat, cum explicetur peccatum aliter, ac erat in conscientia confitentis.

Hæc faciunt pro hac parte, propter quæ aliqui viri docti probabile iudicant, non teneri postea penitentem confiteri, ut certum, quod prius, ut dubium confessus fuerat, propterea tunc revera sibi erat. In quibus erat Reverendissimus Pater Nicolaus Richardus Sacri Palatii Magister, cum quo privatim rem hanc contuli, & ipse privatim etiam respondit valde probabile sibi videri, non adesse talem obligationem; id, quod alij etiam iudicant. Cæterum quia in re mortali non est facile recedendum à communi sensu, & quia nullum invenio scriptorem pro ea parte, eos autem paucos, qui hoc attigerunt, video in contrarium inclinare, nolo ego in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere.

Duo tamen advertenda videntur. Primum, quando penitens confitetur peccatum certum integrè, de quo tamen dubitabat, an esset mortale, vel veniale, & licet Confessarius etiam simili dubio teneatur, non esse iterum confitendum; quando postea, vel penitens, vel Confessarius doctior factus aut aliis consultis, sciat, id esse peccatum mortale, quia iam revera confessus integrè est suum peccatum, neque ad Confessionis valorem requiritur, quod penitens, vel Confessarius sciat, illud esse peccatum mortale, ut bene notavit Sanchez. *disco c. 10. n. 69.*

S. 5. Ad quod se extendant illa verba plus, minusve, quia addi solent.

Secundò advertendum est, in prima sententia communi, quæ dicit, non esse peccata confitenda, quæ illo priori numero cum latitudine illa, *plus, minusve*, comprehendi poterant, dubitari posse, ad quod se extendant illæ voces, *plus, minusve*. Aliqui enim dicunt, extendi ad duo, vel tria. Hæc tamen regula non est univèrsaliter vera: quia illa verba non habent sensum omnino absolutum, sed respectivum ad numerum determinatum, cui adduntur: quare si dicas, *millies, plus, minusve* non restringuntur certè ad duo, vel tria, ut bene notavit Fagundes *lib. 3. præcept. Confess. c. 5. num. 9.* Vnde nec admitti potest generaliter regula, quam alij tradunt, quos refert Glossa in leg. *Hæc additio 192. ff. de verbor. significat*

quod scilicet extendi possint illa verba ad quartam partem summæ, cui adjicitur, ut si dicas, *octo plusve*, An ad quartam partem, vel in decem, quia duo sunt quarta pars ex octo. Hæc etiam regula, non potest esse in univèrsum vera, quia si promittas mihi centum millia aureorum, parum *plus, minusve*; non satisfacies dando quæta septuaginta quinque millia, quia illud, quod deest, licet sit sola quarta pars; non est tamen parum sed multum minus, quam centum millia in communi hominum existimatione.

Alij dicunt verba illa, *vel citra*, quæ eundem habent sensum, verificari posse de quinque pro quolibet Centenario, & non de pluribus. Ita declaratum fuisse statuto Mediolanensi refert Menochius *lib. 2. de arbitris iudicium, casu 46.* Sed neque hoc potest in univèrsum esse verum: quia licet in magna summa id verum esset, in parva tamen esset regula nimis rigida v. g. si dicas, quinquaginta, vel circa, falsa esset verba positis quinquaginta tribus, vel quadraginta septem. Alij dicunt, qui confitentur, se peccasse decies paulò plus minusve, his verbis comprehendere alias tres, vel quatuor vices. Ita Gaspar Hurtado loco citato, quem affert, & non improbat Diana *3. tom. tract. 4. Miscellan. resol. 294.*

Mihi placet explicatio Iureconsulti Vlpiani in dicta leg. *Hæc additio*. Vbi sic ait: *hæc additio plurive non infinitam pecuniam continet, sed modicam duntaxat. Ad dictio hæc solidorum decem plurive ad minusculam* (vel, ut alij legunt *ad minuculam*) *summam refertur*. Quanta autem debeat esse, non potest definiti univèrsali regula, sed arbitrio prudentis relinquatur, ut docet Glossa ibidem, & Vasquez *quest. 91. art. 1. dub. 6. n. 2.* Debet autem in eo iudicio formando servari hæc regula, ut quo maior est numerus qui nominatur; maior etiam numerus possit intelligi verbis illis *plus minusve*; non tamen debet hoc accipi proportionè Arithmetica, ut dicunt, sed Geometrica: hoc est, non debet ita accipi, ut si numero minori addita extendantur ad quintam partem, addita etiam numero maiori possint extendi ad quintam eius partem v. g. cum dicas, *peccavi decies plus minusve*, verificatur, si octo, vel si duodecim vicibus peccasti, atque adeo illa verba addunt, vel demunt quintam partem numeri denarii, quæ est duo: & tamen cum dicas, *peccavi centies plus minusve*, non verificantur verba, si octuaginta solis, vel centum viginti vicibus peccasti: quia quinta pars numeri centenarii, quæ est viginti, non est parum, sed multum; plus, vel minus.

Ratio regulæ huius quoad utramque partem est quod ad verificanda illa verba, *parum plus, vel minus* semper debet intervenire aliqua peritas in eo quod additur, vel aufertur: paritas autem aliquando est absoluta, quando in se ipso absolute est parum id, quod additur: aliquando verò est respectiva, quando licet in se non sit parum; est tamen parum respectivè ad aliquid multò maius. Hinc est quando verba illa *plus, minusve*, adduntur numero parvo, verificari, etiam si id, quod additur, vel aufertur sit tertia pars, v. g. si dicas, *peccavi ter plus minusve*, vera sunt, si solum bis, aut quater peccasti; quia licet unum sit tertia pars numeri ternarii, est tamè in se satis parvum. Si autem dicas, *peccavi centies, plus minusve*: non erunt vera, si centum triginta vicibus peccasti, quia triginta, neque in se, neque respectivè ad centum sunt aliquid parvum. E contra verò, si dicas, *peccavi milites plus minusve*, verum erit licet mille quinquaginta vicibus peccaveris, quia licet quinquaginta non sint parum in se, sunt tamen nimis parum respectivè ad mille. Hinc ergo oritur ratio, cur verba illa ad plus se extendant addita numero maiori, sed non cum totali proportionè: quia scilicet, quando dicis

95.
Ad quinque
pro quolibet
centenario:

96.
Opinio pro
habilitate
Vlpiani.

97.

dicis, *decies, plus, minusve* duo v.g. ad quæ se extendunt illa verba, sunt aliquid paruum ex utroque capite, nempe absolute, & respectivè. Quando verò dicis, *millies, plus, minusve*, ducentum, licet sint aliquid paruum respectivè, sunt tamen aliquid magnum absolute, quæ magnitudo absoluta debet vinci per maiorem multo paritatem respectivam ratione cuius possit intelligi illis verbis, *parum, plus, minusve*. Quod ergo maior est numerus, qui nominatur, eò plus debet distare ab illo pars quæ additur, vel aufertur, ut intelligatur verbis illis; quia quod pars illa est maior in se, eò minus intelligitur per *parum*, nisi adeo crescat paritas respectiva, ut propter excessum illum possit dici, *parum, plus, vel minus*, id quod in se non est parum, sed magnum. In praxi autem placet id; quod dicebat Menochius, verba illa posse verificari de quinque pro quolibet centenariis; maxime si addantur numero millesimo, vel ultra millesimum; nam si sumus infra millesimum, videtur aliquantulum stricta regula illa; qui enim dicit *centies, plus, minusve*, verum dicit, licet centum & decem vicibus peccasset.

§.6. An sit mortale mentiri in Confessione.

98.
Quæstio est de
mendacio in
re quæ ad
confessionem
pertinet.

Quartum dubium principale esse potest, an mendacium quolibet in confessione peccatorum sit culpa gravis, an vero possit esse levis? Loquimur autem de mendacio in materia pertinente ad confessionem; Nam de mendacio in aliis materiis, licet dicatur in illo loco, & inter confitendum; certum est non accipere gravitatem mortalem ex illa circumstantia temporis, & loci. Certum etiam videtur non esse peccatum grave negare aliquod peccatum, quod nullo modo pertinet ad confessionem præsentem, quia nimirum confessus est iam homo illud in alia confessione nec habet connexionem cum peccatis, quæ nunc confitetur, sicut nec erit mendacium grave negare aliqua venialia, quæ facit. Imò aduertit bene Suarez in præfati disp. 22. sect. 10. n. 5. nec esse veniale id negare, si homo respondeat in sensu debito; quia nimirum, quando reus non iudicè interrogatur, negando delictum, significat solum, se non fecisse ita, ut teneatur in illo foro id faceri. An verò, & cur peccet graviter negans peccata iam confessâ Sacerdoti interroganti in ordine ad præsens peccatum? Diximus supra disputat. 14. sectione 10.

99.
Quid circa
veniale.

Difficilius est, an sit peccatum mortale accusare se de aliquo veniali, quod non fecit? Affirmat Caietan. cum aliis, quos refert Suarez vbi supra num. 6. Communior tamen, & probabilior sententia negat, si tamen dentur alia peccata vera pro materia Sacramenti. Hanc tenent Nauarrus, Sylvester, Angelus, Petrus Soto, & alij quos referunt, & sequuntur Suarez, vbi supra, & Vasquez q. 91. art. 1. dub. 7. & alij Recentes communiter.

Constat autem hæc conclusio ex iis, quæ in simili diximus supra disp. 24. sect. 7. dub. 3. vbi concessimus posse absque peccato gravi aliquem dicere in confessione aliquod veniale, de quo non habeat dolorem sufficientem, dummodò habeat dolorem de aliis peccatis, quæ confitetur. Eadem autem est ratio in hoc casu; nam sicut ibi non fit irreverentia gravis dicendo peccatum, quod non possit esse materia Sacramenti; sic nec in hoc casu erit gravis irreverentia dicere peccatum falsum, quod non possit esse materia Sacramenti; iam enim utrobique datur alia materia; per illud autem mendacium non cogitur Confessarius ad variandum notabiliter iudicium, cum non sit variatio, aut additio in materia gravi. Argumenta, quæ contra hanc sententiam solent afferri, proposuimus, & dissoluimus loco citato, atque

adeo non oportet iterum eadem nunc repetere.

Si verò loquamur de peccato mortali non confessio, certum est, mendacium circa illud esse peccatum grave. Si enim esset peccatum grave, illud taceret, quantum magis erit illud negare, si absque ratione sufficienti fiat. Si enim haberet aliquis causam sufficientem tacendi illud peccatum, posset etiam illud negare. Similiter est peccatum grave fateri aliquod peccatum mortale, quod non fecisti, quidquid velint alij, quos tacito nomine refert Vasquez vbi supra num. 10. Si enim id liceret, posset aliquis absque multo examine augere numerum peccatorum, & ita dicere, quæ fecit, & non fecit, quod est contra mentem omnium fidelium. Ratio autem est, quia variatur in re gravi iudicium confessarij per illam additionem.

Petes, an sit peccatum grave mentiri circa peccatum mortale iam antea confessum, addendo aliquam circumstantiam gravem; vel aliquid simile? videtur enim esse eadem ratio de illo, de peccato veniali cum neutrum sit materia necessaria; & de hoc diximus disp. 14. sect. 8. Breuiter respondetur esse peccatum grave. Primum quia illud, quod falsò additur, non reputatur, peccatum iam confessum; cum enim sit falsum non est unquam confessum sacramentaliter; quare perinde erit mentiri circa illud, ac si esset circa peccatum nunquam confessum. Secundò, quia siue peccatum illud mortale fuerit antea confessum, siue non, parum refert; Nam in hac confessione datur pro materia huius iudicij, perinde ac si non fuisset antea confessum; atque ideo de eo debet fieri nunc iudicium independentem ab aliis confessionibus. Si ergo mentitur pœnitens in eo, iam facit variari iudicium Confessarij in re gravi pertinente ad materiam huius iudicij. Nec obstat, quod non sit materia necessaria; iam enim datur pro materia huius iudicij, ut iudex de illo iudicet, perinde ac si non esset res iudicata.

Quintum dubium esse potest, an imperfectiones, qualis est, non correspondere inspirationibus divinis, sit materia confessionis, atque ideo laudabiliter faciant pœnitentes, dum de eiusmodi imperfectionibus se accusant. Toletus enim lib. 3. cap. 2. num. 6. inter peccata omissionis numerat divinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod bonum cum possit quis operari, licet non obligetur ex præcepto. Sed ibi nomine præcepti intelligitur illud solum quod obligat ad mortale, ut explicuerat eodem cap. quem modum loquendi usurparunt etiam Scotus in 2. distinct. 21. quæst. 1. §. Dico ergo. Gabriel in quarto dist. 16. quæst. 5. art. 1. notab. 1. & 2. distinct. 22. q. 1. art. 3. dub. 1. Bassolus, Alensis, Magister sent. cum multis ex antiquioribus, quos congerit Salas 2. tom. in 1. tract. 13. disp. 16. sect. 9. Quo loquendi modo non significatur, quod peccatum veniale nullo modo sit contra aliquod divinum præceptum, sed quod non sit graviter, sed leviter; atque ideo, comparatum cum peccato mortali videatur esse analogice contra præceptum, & non simpliciter, sed solum secundum quid, sicut accidens verè est ens, sed comparatum cum substantia, non dicitur simpliciter ens, sed secundum quid; & creatura, licet verè habeat esse, comparata tamen cum creatore, dicitur quasi non ens, & solus Deus dicere potest: *Ego sum, qui sum*. Unde non debuit hanc Toleti doctrinam ita acriter reprehendere, Ioannes Sarracenus in Selectis disput. 7. vbi & in disp. 1. & disp. 6. num. 4. contendit, non esse permitendum pœnitentibus in confessione accusare se quod non consenserint in inspirationibus divinis, quibus a Deo movebantur ad non habendam nimiam sollicitudinem de corporis salute, non querenda alimmenta superflua, sed ut contenti essent habentes necessarios.

necessaria, & quibus tegantur ad non appetendas dignitates, &c. sicut nec debent permittere se accusare, quod transgressi fuerint inspirationem oblatam, quando urgebat occasio violandi præceptum; (hæc enim transgressio inspirationis non est distinctum peccatum ab ipsa transgressione præcepti,) quod non præmiserit examen, nec doleat intensè, prout posset de peccatis; quod Deum non dilexerit quam potuisset intensè, quod in copula cum coniuge, vel alijs verba amatoria, & impudica cum ea fuerit colloquutus, quod in copula illa nimiam delectationem fuerint experti, &c. hæc enim, & similia, cum peccata non sint, non debent afferri ad confessionem. Ita ex prædicto Auctore refert Diana 2. tom. tract. 4. resol. 52.

Verum non debent reprehendi Confessarii, quod penitentes in iis dicendis non impediunt: tum quia plura ex iis, quæ videntur meræ imperfectiones, non sunt sine aliqua culpa veniali; præsertim si cum communi sententia Thomistarum supponas, non dari actum moralem indifferentem in individuo: ex hoc enim constat, eos omnes actus, qui ex fine honesto non sunt, esse peccata venialia. Tum etiam quia non est necesse, quod omnia, quæ penitens in confessione dicit, sint determinatè, & absolutè materia absolutionis: multa quippè dicuntur, vel ad maiorem abundantiam, ut notitiam sui magis plenam penitens Confessario tribuat; unde & beneficia etiam à Deo accepta narrantur, vel ut si quid fortasse culpa, & peccati in iis fuit, id totum per Sacramentum, & absolutionem deleatur. Sicut ergo infirmus omnia medico narrat, ut si quid inuenierit curatione dignum, remedium adhibeat: sic penitens Confessario, qui simul Medicus est, potest absque vitio omnia narrare, etiam imperfectiones, quia ad confessarium magis spectat discernere, quæ sit, & quæ non sit absolutionis materia, & ut Confessarius magis perspectam habeat penitentis conscientiam, & eò melius de toto eius statu iudicare possit in ordine ad debitum remedium adhibendum.

SECTIO III.

Utrum circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem sint necessariò confitende?

Supponimus, circumstantias afferentes novam speciem esse necessariò explicandas, ut definitur in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. v. g. si sit percussio personæ sacræ, circumstantia illa explicanda est, quia transfert peccatum ad novam speciem sacrilegij. Hanc doctrinam limitat, vel explicat Cajetan. in tom. 1. opusculorum tract. 5. quest. 3. ut intelligatur de illis solum speciebus, quæ communiter mediocriter doctis notæ sunt, seu quæ diversum possulant iudicium, ut curentur, non de alijs subtilioribus. Quam limitationem amplecti videntur Cajetanus relectione de penit. part. 5. §. Ad quartum argumentum respondetur. Nauarr. in c. consideret, de penitentia dist. 5. num. 17. & 18. & Fagundez lib. 4. de secundo Ecclesiæ præcepto cap. 2. num. 4. Hoc tamen si, ut sonant verba, accipiat, videtur esse contra apertam definitionem Tridentini supra adducti, ubi damnatur, qui dixerit non esse necessariò confiteri circumstantias, quæ peccati speciem mutant. cui doctrinæ, cum uniuersalis sit, opponitur ille, qui dicit, aliquas circumstantias mutantes speciem non esse confitendas. Fortasse illi Auctores magis differunt in modo loquendi, quam in re ipsa à communi doctrina, & loquuntur de speciebus non mo-

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

ralibus, sed physicis; nam exempla, quæ adducunt, non habent differentiam specificam moralem, sed physicam, & aliunde certum videtur, omnem differentiam specificam moralem deferre ad varian-dum iudicium confessarii; nam idè dicuntur morales, quia in ordine ad considerationem Philosophi, aut Theologi moralis, id est, qui mores considerat, habent diuersitatem notabilem; vel fortasse aliqui horum Auctorum solum volunt excusari per accidens penitentem à Confessione explicita aliquarum specierum subtiliorum propter maximam difficultatem in iis explicandis, vel dignoscendis, eo quod confessio debeat esse humana, & non metaphysica. De quo, & an debeat interrogare confessarius de iis speciebus, dicemus aliquid infra sess. 14. & dist. 22. sess. 2.

Supponendum secundo, circumstantias illas, quæ supra peccatum aliquod mortale addunt speciem novam peccati, non tamen aggravant mortaliter, sed venialiter, non esse necessariò explicandas, verbi gratia, si aliquis occidit hominem propter vanam gloriam, non est necessariò explicanda circumstantia vanæ gloriæ, licet det speciem novam peccati: quia quod per se non erat materia necessaria, nec etiam erit talis, licet coniungatur cum peccato mortali.

Difficultas est de circumstantiis, quæ non dant novam speciem, sed aggravant notabiliter intra eandem. v. g. si furatus es centum, gravius peccasti, quam qui furatur viginti. Sed tamen intra eandem speciem.

Prima sententia docet, eas circumstantias esse necessariò explicandas. Hanc tenent Altiſidor. Alex. Marsilius, Angel. & alij plures, quos referunt, & sequuntur Suarez dist. 22. sess. 3. Henriquez de penitent. lib. 2. cap. 7. num. 6. Fagundez ubi supra num. 10. eundem sequitur Thom. Sanch. lib. 2. de calog. cap. 32. num. 39. & lib. 4. cap. 11. num. 24. & alij communiter.

Secunda sententia negat, debere eas circumstantias explicari. Hanc tenet S. Thom. in quarto dist. 16. quæstione. 3. art. 2. gloss. 5. Durand. Gabriel. Palud. Scot. Almainus, Bonaventur. Albert. Antoninus, Adrianus, Nauarrus, & alij plures, quos referunt, & sequuntur Valsquez quæst. 91. art. 1. dub. 2. Reginald. in prax. tom. 1. lib. 6. cap. 5. num. 135. Valentia in præsent. dist. 7. quæst. 11. punct. 1. Lessius lib. 4. de iust. cap. 3. dub. 12. num. 8. quos & alios multos congerit Antonin. Diana tract. 7. de circumst. aggravant. lib. 1. resol. 1. Omitto tertiam sententiam mediam, docentem debere explicari eas circumstantias in peccatis externis, non verò in internis, quia nullum habet fundamentum, licet in eam inclinare videatur Henriquez lib. 2. de penit. cap. 7. num. 5.

Ex his sententiis, licet prima sit valde probabilis, magis tamen placet secunda. Quæ probatur primò ex Trident. dist. sess. 14. cap. 5. ubi postquam dictum est circumstantias, quæ speciem peccati mutant, esse explicandas, additur impium esse hanc confessionem impossibilem appellare, aut carnificinam conscientiæ, constat enim nihil aliud à penitentibus in Ecclesiâ exigi, &c. Quibus verbis excludi videtur necessitas explicandi alias circumstantias. Cæterum hæc verba non habent illum sensum, non enim dicunt nihil aliud exigi præter id, quod supra explicatum fuerat: sed nihil aliud exigi à penitentibus, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sinu omnes, & latebras explicauerit, & peccata confiteatur, quibus se Deum offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrant in uniuersum, eadem confessione inclusa intelligantur.

Itaque